

Petrus de Vinea

*Ep. III 18 (Ignominiosi
uulgaris nominis uestri fama...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 18 (Ignominiosi
uulgaris nominis uestri fama...)*

aprile 1246

Inuectiue scribit Romanis, qui receperant proditores suos, ut ipsos expellant.

1. Ignominiosi uulgaris nominis uestri fama, quae, non absque uerecundae maculae nota, urbem urbium iam infecit, etsi non pontificum, suorum senatorum, maxime magnatum et uirorum illustrium modernorum, debuisset corda ferire, dum tantorum nobilium successiua progenies omiserit aure surda ipsius predecessorum urbis nobilem nutrituram. 2. Et quidem mater ipsa priscis temporibus fideles lactabat filios, nutriebat prouidos, receptabat honestos, exulabat infidos, eiciebat improbos et impios perimebat et sic tantis tunc illustrata luminibus totius mundi regna tributaria erant sibi. 3. Mirabilis igitur non satis, immo, ultra quam dici possit, miranda tam excellentissimae urbis cecitas et tantorum ciuium obscuritas oculorum, ut, qui tam feliciū deberetis antecessorum huiusmodi antiquitatis dignissimae uitae morumque sequi uestigia, a semitis uestrorum laudabilium patrum improuide deuiantes, non minus in uestrum quam culminis nostri preiudicium, proditores nostros fauorabiliter receptando, honorabiliter confouetis. 4. Qui ad ipsorum interitum deberetis totis uiribus, summo studio hanelare, uelut hi, qui ab eorum infantia de limo terrae assumpti, paterna dilectione nutriti, insigniti famosis honoribus et liberalitatis nostrae dextera, multis in Imperio et Regno ditati muneribus, prefulgebant, percussi telo principis tenebrarum, quod oculorum stupescit uisum et auris auditum, quod multos multipliciter scandalizat, paratis latenter ipsorum in sanguinem gladiis, dum nobiscum simul refectione cibo unanimiter conuersarentur in aula, facinoroso nequitiae absinthio preconcepto,

dolose simul et dolorose procurauerant mortem nostram. 5. Adnimauertite igitur et uidete, Romani populi, utrum ex collatis beneficiis per nos uobis, quibus semper nostrae liberalitatis munificentia uos dotaui, a uobis tamquam a sacri Imperii nostri capite, tam ingratum meritum imperiali excellentiae debeatur, ut huiusmodi gubernetis nequissimos proditores, qui non sine multiplici Christianitatis clade, nostrum sanguinem, utpote Romani Caesaris, catholicae fidei defensoris, sic immaniter sitiebant. 6. Cumque tam nefandissimi sceleris patratores inter uos de iure consortium habere nequeant uel fauorem, ad ipsorum exterminium et confusionem taliter uestra prouidentia procedat, quod honoris uestri perpetuam cedat ad gloriam et nostrae magnificentiae ad uindictam.